QUÆSITA SATISFACTIO FIDEI ET DOCTRINÆ,

Oblata omni poſcenti ſecundùm

DECLARATIONEM

Circa Articulos Doctrinæ in Belgio Controverſæ,

PER

Ex. D. J. L. HENNEBEL, S.T.D.

Poſtulabat Irenæus Philaletes.

PACEM & VERITATEM *diligite, ait Dominus omnipotens.*





ANNO MDCCI.

Oportet non tempori accommodare ſermones, ſed rectam ſemper & nuſquam inflexam veritatis ſervare normam.

Theodoret. Epiſt. 135.

Vix quidquam solet esse inimicius *veritati*, atque *pax* coalescens conventione ambigua, distortis, fallacibus, aut obscuris terminis, ac propositionibus ad politicum concentum potius, fucatamque concordiam, quam ad fidelem sinceramque unionem excogitatis. In hoc genere nobis numeranda videtur pax adumbrata per *Declarationem* D. J. L. Hennebel, S T. Doctoris: quæ non (ut præfertur) Belgicæ Ecclesiæ sedandæ idonea, sed magis apta videtur tum veteribus enutriendis irritandisve dissidiis, tum novis etiam invehendis. Veritas candida, una, simplex, & indivisa est: ac sicut illius amans neque ad dexteram neque ad sinistram declinat; sic neque, ducto in utrumque latus aratro, glebas dexteras & sinistras, simul cum subverso calle regio, conglomerat & confundit. Nam (ut & hoc obiter moneam) in Scripturis per dexteram ac sinistram non intelliguntur viæ dexteræ & sinistræ, quasi inter vias obliquas binas via veritatis sit *via media* (quemadmodum voces illas à quodam amanuensi Episcoporum Belgii præposterè * acceptas vidi) sed dextera ac sinistra juxta Litterarum sanctarum idioma pro lateribus sumi debent: quæ non tamquam vias, sed tamquam avia & invia, aut zizaniis ac tribulis oblita, considerare oporteat & vitare. Ne igitur veritatis cupidos à via illa, non media, sed plana ac recta unica, per *Declarationis* speciosam compositionem propositam, digredi & aberrare contingat; visum fuit ipsius *Declarationis* declarationes magis uberes, sive rationem fidei & doctrinæ, pro addicto urbanitatis officio, hac scedula volanti poscere. Quod ut ad intelligentiam Tyronum Theologiæ commodius ac reapse etiam accuratius fiat; ipsam *Declarationem*, qualis ab Oratore Lovaniensi coram Sede Apostolica in Urbe exhibita, atque hic (ut audio) ad viros optimates Ecclesiæ ac Reipublicæ, velut quædam pacis ineundæ tessera, missa fuit, illibatam & integram Lectori repræsentabo; atque ad singulos Paragraphos quæsita mea verbis brevibus quanta potero perspicuitate aperiam.

DECLARATIO *circa Articulos Doctrinæ in Belgio controversæ*,

per Ex. *D. J. L. HENNEBEL*, *S. Th. Doct.*

Die 10. Septemb. 1700. coram Sede Apostolica in Urbe exhibita.

EMIN. AC REV. DOMINI.

Exponit humillimè Joannes Libertus Hennebel Academiæ Lovaniensis

* *In Decreto circa administrationem Sacramentorum &c. dato Bruxellis* 23. *Apr.* 1697.

sis Doctor &c. quod cum innotuerit, post exhibitum nuper coram Eminentiis Vestris Memoriale ad procurandam Belgicarum Ecclesiarum pacem, esse tum in Urbe, tum in Belgio, qui ampliorem aliquam & expressiorem doctrinæ nostræ declarationem desiderent, quod & significant quorundam Scripta contra idem Memoriale non ita pridem sparsa; visum fuit Belgis Theologis, quorum hic partes agit Orator, illorum etiam desiderio ac voluntati obsequi, utpote qui non tantum Sedi Apostolicæ, SED & OMNI POSCENTI ILLOS RATIONEM DE EA, QUÆ IN IPSIS EST FIDE, & DOCTRINA, SATISFACERE PARATI SINT. *Quare apertam hanc circa controversias in Belgio agitatas mentis suæ Declarationem coram Sede Apostolica emittunt, exemplum sequuti Facultatis Theologicæ Lovaniensis, quæ anno 1677. per suos Deputatos eidem S. Sedi Articulos Scholæ suæ de rebus tunc controversis reverenter exhibuit, ejusque judicio humillimè subjecit.*

ACceptamus in hoc Paragrapho oblatæ ultro laudabilis humanitatis, quam-quam pro Theologicæ scientiæ Magistris nec indebitæ omnino præstationis obsequium; & rationem de ea, quæ *Declarationi* inest, fide & doctrina, pro nostra inscientia flagitabimus.

DECLARATIO.

I. *AC primum, ut constet de illorum obedientia ac reverentia erga S. Sedem, iterum obedienter ac reverenter sese subjiciunt Constitutionibus, & Decretis Apostolicis Summorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Innocentii XI. Alexandri VIII. omnesque ac singulas propositiones in iis damnatas, prout eas Apostolica Sedes damnat, rejiciunt pariter, ac damnant.*

QUæritur ergo: Quousque se illa extendat, inclinet, ac subjiciat obedientia? utrum V.G. Orator Propositiones omnes & singulas, Piana ac Gregoriana Constitutione contentas, dignè censurâ flagellatas existimet? & quo sensu? obvio vel non obvio? aut fortassis aliquo inter utrumque medio? Si in sensu obvio; rogamus illum sensum, aut quemcumque demum alium damnatione dignum, nobis pandi V.G. circa Propositiones has: *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.*

Circa Bullam Urbani quæritur: Utrum contra sententiam Majorum suorum serio credat perillustrem Jansenium revera peccasse in Bullam Pauli V. adeoque fundamento solido Urbani Constitutio nixa fuerit? Si id credat, det rationem fidei: videlicet an teneat eandem Bullam legitime in Bel-

gio

gio publicatam? vel, tametsi illic nec publicatam nec receptam, tamen in conscientia obligasse? Item quæritur: Utrum in dubitationem vocet celebre illud instrumentum juratum Ex. D. Joannis Sinnichii: e quo patescit, Bullam Urbani non modo *sub* vel *opreptitiè* (ut vocant) sed etiam depravatè, & temerante manu, fuisse ab Albisio concinnatam.

Circa Bullam Innocentii X. vicissim gestiremus ab Oratore intelligere sensum obvium, in quo Propositiones famosas condemnare oporteat: ne charitatem quidem in intentione habentes, sed in electione veritatem non assecuti, cæcâ obedientiâ contingat nos impingere in legem Dei. Sed de hoc mox uberius.

Ad Bullam Alexandri septimi hæc quæstio sit: Utrum alio principaliori fine eam emanatam credat, quam ad asserendum Factum Jansenianum: id est: quinque Propositiones ex libro Jansenii, cui titulus est Augustinus, excerptas fuisse, & in sensu per eumdem Jansenium intento damnatas? Utrum credat, Factum istud subesse? & si non credat, rogamus exacte definiri, quid sibi velit, & quousque se addicta porrigat *obedientia*: nam *reverentiam* utcumque capimus.

Circa Decretum Alexandri VIII similiter quærimus: Utrum Propositiones illius omnes ac singulas debitè proscriptas autumet? & si ita, ut assignet sensum proscriptione illa dignum Propositionum V. G. 2. 7. 8. 12. 16. 31.

Denique postulamus nobis declarari intellectum istius periodi: *prout eas Apostolica Sedes damnat:* Utrum videlicet ille damnationis modus unus idemque sit cum damnatione sensus obvii quem ipsa-met Propositionum verba præ se ferunt? An vero sufficiat ad absolutam damnationem, quod Propositiones illas Apostolica Sedes damnaverit quocumque modo; adeoque an admittat auctoritatem in Constitutionibus ac Decretis ejusmodi condendis, & pronuntiandis sententiis, falli nesciam?

DECLARATIO.

II. *PAri obedientia, & veneratione recipiunt Decretum SS^mi D^ni Nostri Innocentii XII. die 28. Januarii 1694. in Formularii negotio editum, uti & Breve die 6. Februarii ejusdem anni, & alterum die 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii missa, quæ ad extinguenda jam pridem excitata inter Theologos dissidia, sapientissimè Sua Sanctitas scripsit, & singulari cura observari voluit.*

QUæritur: Utrum in dictis Brevibus, ac præsertim postremo, non afferat Pontifex, se Constitutioni & Formulario Alexandrinis firmiter in-

hærere; nec passurum ut aliquid addatur aut dematur a Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua minima ejus parte? Secundo quæritur: Utrum & Constitutio illa, & Formularium, in sensu obvio, non contineant disertissimam assertionem memorati Facti litigiosi? & si contineant, nec tamen Factum revera subsit; exoritur quæstio: Quo pacto juratores Formularii a judicio temerario, mendacio, falso testimonio, aut perjurio se expediant.

DECLARATIO.

III. *SI quando ad jurandum Formularium Alexandri VII. eos adigi contingat, jurabunt illud juxta modum & normam Brevibus istis præscriptam, nimirum* sincerè, absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione, damnando quinque propositiones ex libro Jansenii excerptas, in sensu obvio quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt, prout sensum illum damnarunt Summi Pontifices, damnatumque haberi voluerunt à Christi fidelibus.

QUæritur quomodo *sincerè, absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione*, damnari possint Propositiones tamquam *excerptæ ex libro Jansenii*, si ex libro excerptas non fuisse evidenti experientia & sensu constet? Excerpi certè non potest quod non inest: porro in genuino libro Jansenii, typis Zegerianis Lovanii edito, non extare Propositiones istas quilibet non cæcus videre poterit. Si ergo, falsitate illa nequidquam obstante, fas sit Formularium, absque ulla restrictione seu expositione, adjecto quoque juramento recipere; quam ingens campus aperiatur restrictionum mentalium patronis, & humanæ societatis perturbatoribus, quivis intemerati judicii clare perspicit.

Quæritur secundo: Quis sit ille prætensus intellectus obvius, quem Pontifices damnatum haberi voluere à Christi fidelibus? quantis enim sit ille tenebris involutus, nemine hactenus dissipandæ caligini admovente facem, jam recenter adhuc *documentis irrefragabilibus commonstratum est. Nec est, quod Orator fortasse, cum quodam Historiographo, sensum illum obvium indigitare, tamquam Brevi Innocentiano adversaturus, refugiat: quia non vetuit Pontifex delineari sensum illum quem vocat *obvium*; sed † *silentium imposuit super interpretatione propositionum in alios sensus, præter eum quem ipsa verba per se exhibent*. At hic ultimus non modo non contra imperium, sed potius è voluntate Pontificis, hæsitanti utiliter elucidatur: ut nimirum fidelis ille bonus elucidatione ista resciat quid Pontifex damnet. Neque iterum contra hæc reponi debet Innocentium

** Apologia 2. Panegyreos Jansenianæ.*   † *in Brevi de 6. Febr. 1694.*

tium expresse edicere: quod *ad summum Pontificem dumtaxat pertineat, sensum quem in his propositionibus damnaverit, & ut damnatum a Fidelibus credi censuerit, declarare:* quia intelligendus est hanc declarationem protulisse, cum illum sensum definiit esse *eum quem verba ipsa per se exhibent*. Hic porro solus sensus à caligantibus nobis quæritur: non enim putamus, has voces, *quem verba ipsa per se exhibent*, materialiter debere sumi, ut sint sine mente soni, *& vacuum sensu fluitans per inania murmur*.

Declaratio.

IV. *IN materia de Auxiliis, profitentur cum Schola Sanctorum Augustini & Thomæ, 1. Gratiam Christi per se efficacem, in hoc statu naturæ lapsæ ad singulos actus pios esse necessariam. 2. Prædestinationem electorum, tam ad gloriam, quam ad gratiam esse ante prævisa merita, prorsusque gratuitam. 3 In conciliatione ejusdem gratiæ cum libero arbitrio sentiunt cum prædicta Schola aliisque Theologis gratiæ per se efficacis ac prædestinationis gratuitæ defensoribus. Unde ultro & in eodem cum Goneto, Contensonio, aliisque Thomistis sensu, admittunt quinque Articulos Discipulorum Sancti Augustini, primum Alexandro VII. ac deinde Alexandro VIII. Summis Pontificibus exhibitos, in quibus ejusmodi doctrina, juxta ejusdem Scholæ eorundemque Theologorum placita, clare ac dilucide explicatur.*

QUæritur, cur *in materia de auxiliis* scholæ Augustinianæ per Oratorem adjungatur Thomistica: cum hæc, præsertim ut nunc se habet, ab illa tum in primis doctrinæ basibus, tum in modo locutionis, toto cælo marique dissideat? Compertum quippe est, efficaciam gratiæ in Thomistica schola arcessi à *prædeterminatione physica*: quæ tantum abest ut ad auxilium illud medicinale, quod Christus attulit & post Paulum Augustinus prædicat, pertinere quomodocumque possit, ut ne quidem ullius gratiæ titulo ornari, si rem penitius inspicis, videatur digna. Quod enim ex indivulsa dependentia creaturæ a Creatore, & motuum illius a primo efficiente motore profluit (sicut idem ipsum etiam vox *prædeterminationis physicæ* rite exprimit) non est gratia sed natura.

Quare & consequenter schola eadem contra Augustinianam contendit 1. gratiam per se efficacem non tantum ad singulos actus pios esse necessariam in hoc statu naturæ lapsæ, sed etiam fuisse necessariam in statu naturæ integræ. 2. Non tantum prædestinationem electorum tam ad gloriam quam ad gratiam esse ante prævisa merita, sed etiam reproborum relictionem.

lectionem ante prævisa factam demerita: seu absque intuitu peccati originalis in hominibus, aut voluntarii peccati in Angelis: quibus profectò documentis schola ista universum systema gratiæ Augustinianæ (quod in libro *de correptione & gratia* cap. 10. 11. 12. explicatum habes) radicitus & à fundo subruit. 3. In conciliatione etiam ejusdem gratiæ cum libero arbitrio utrasque scholas illas magnis parasangis disparatas esse, dum opus fuerit, oratione fusiori & perspicua evictum dabimus. De *modo locutionis* dicemus ad sequentes Articulos.

DECLARATIO.

E*Andem Patrum Dominicanorum doctrinam quatuor hisce articulis a R^mo Patre Thyrso Gonzales Societatis Jesu Generali expressam*:

1. Patres Dominicani gratiam efficacem ponunt in prædeterminatione physica essentialiter connexa cum consensu.

2. Dicti patres expresse asserunt cum gratia componi, quod voluntas maneat libera libertate indifferentiæ ad oppositum.

3. Dicunt quoque voluntatem simul cum prædeterminatione ad actum salutarem habere potentiam proximam ad oppositum.

4 Si ex sua gratia physice prædeterminante judicarent sequi eversionem libertatis indifferentiæ, eam omnino negarent.

Hanc, inquam, doctrinam sanam & Catholicam, juxta Thomistarum sensum, agnoscunt, prout eandem sanam & Catholicam profitetur R^mus Pater Thyrsus tom. 4. select. disp. pag. 304. disp. 11. de Statu naturæ puræ §. 69.

DOctrina sana & Catholica est, quam Scriptura, aut Traditio Ecclesiæ, consentiente sanctorum Patrum per tempora & per loca suffragio, ad nos detulit. Hoc est enim verè proprieque catholicum, quod & vis nominis ratioque declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit. Rogamus ergo nobis commonstrari Scripturam, aut unanimem Traditionem istam: ut & nos articulos, alioqui rejiculos admodum, in honore ac pretio habere possimus.

Ad primum quidem articulum, pro brevitatis hic propositæ instituto, jam satis diximus.

Ad secundum censemus, nihil verè ac proprie indifferens, juxta Latinæ Linguæ phrasim, & communem hominum sensum prædicari debere, nisi quod non magis in hanc quam illam partem propendet: seu in quodam quasi æquilibrio ad bonum malumve fluctuat. Porro talem sub gratia efficiente libertatem indifferentiæ ad oppositum manere, SS. Patribus, qui de gratiæ inimicis applaudente ac vincente Ecclesia triumphaverunt, ignotum

tum non modò atque insolens est, sed cum eorum sententiis de gratia & arbitrio liberò directè pugnans. Avemus ergo ab Oratore cognoscere, cui bono serviat, gratiæ per se efficacis & insuperabiliter agentis ac determinantis dogma internè suscipere, & externè cum ejusdem gratiæ adversariis velle loqui? *væ*, inquit Sapiens, *ingredienti terram*, hoc est Ecclesiam, *duabus viis*. Profectò in hac materia eam laudem Jesuitis debemus, quod errores suos candide & aperte enuntient; miserabiles verò isti Dominicani (absit enim ut tales ineptias omnibus probari existimem) cum sua gratia sufficiente, quæ non sufficit; potentia proxima, quæ immenso intervallo abest; indifferentia, quæ ad actum invincibiliter determinata est; doctrinam Ecclesiæ cimmeriis condunt tenebris; receptum loquendi commercium seditione vexant, Concionatoribus fallendi, & populis errandi ostium evidens magnumque aperiunt, & omnia sus deque vertunt. Indifferentia enim moliniana (si summos imos, doctos indoctos, nobiles ignobiles, iuvenes ac senes interroges) sola vera, propria, ac germana indifferentia est; Thomistica autem ista, non nisi indifferentiæ umbra quædam imaginaria & merus fucus. Quare magnopere ambigo, utri ex his, ætate sanctorum pro gratia dimicantium Patrum, an Jesuitæ de doctrina mala, an Dominicani illi de tali quali doctrina & locutione pessima, pœnas dedissent severiores. Scriptum sane est in Evangelio de duobus servis: *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

Ad tertium arbitramur, multo sensatius locuturos Patres illos, si non tantum inficiarentur voluntatem simul cum prædeterminatione ad actum salutarem habere potentiam proximam ad oppositum; sed liquidò assererent, habere ad oppositum impotentiam seu imbecillitatem proximam: tunc enim loquerentur, sicut usus homines, mentem sanam in corpore etiam non sano habentes, per omnem terræ ambitum loqui docuit. Nec retorqueri debet, gratiam solummodo ad actum dari: quasi ipsa potentia per gratiam liberanda, sananda, roboranda non esset, sed ad agendum unicè propellenda: sunt enim hæc iterum paradoxa, tum Augustino & ejus asseclis, tum Ecclesiæ Canonibus è diametro adversantia.

Ad quartum dicimus: Judicent illi, suam gratiam physicè prædeterminantem cum indifferentia constare, non judicent; negent, aiant; vigilent, dormiant; nullam nobis istorum fore curationem: nec tamen ullum de hac re nos extimere periculum, ne propterea à doctrina sana & catholica discedamus.

Non

Non me contineo, quin pro insulsis illis articulis hic alios verè sanos adjungam, quos idem Orator, cum Clarissimis Theologis Academiæ Lovaniensis, Archiepiscopo Mechliniensi Alphonso de Berges pridem obtulit in Indiculo doctrinæ, inter Patres Societatis ac ejusdem Universitatis Doctores, potissimum controversæ. *De libertate* itaque ibidem inter cetera hoc pacto traditur.

I. *Libertatem cum Sancto Augustino & Veteribus in eo constituimus: quod voluntas ex advertentia rationis semetipsam determinet ad agendum.*

II. *Ac proinde, quo major est advertentia rationis, majorque voluntatis semet-ipsam moventis determinatio; eo major erit libertas.*

III. *Ergo ubi Deus magis illuminat, magisque voluntatem movet ut se determinet, major est libertas; maxima proinde est in beatis.*

IV. *Admittimus equidem, relinqui in viatoribus cum gratia per se efficaci potestatem ad oppositum: non tamen potestatem, ut cum gratia efficaci componatur oppositum.*

V. *Admittimus insuper, quod in hoc statu simus liberi non solum à coactione, sed etiam à necessitate: quin etiam, quod ubi major est gratia, ibi perfectior sit libertas à necessitate.*

Nihil habeo quod apponam: professio magnifica est, & celebratissimæ nuper Universitatis existimationi ac præconio plane consona. Sic utique instituendi sunt Sacræ Theologicæ scientiæ candidati, procul ablegatis superioribus *stultis & sine disciplina* articulis: qui ad nihil omnino utiles sunt nisi ad *generandas lites* interminabiles, atque *subversionem* jam quidem *audientium*, sed cum tempore & docentium.

DECLARATIO.

IN materia de Pænitentia sequuntur sensum, doctrinam, & Instructiones S. Caroli Borromæi ad Confessarios, quas instructiones Smus Dominus Noster Innocentius XII. non ita pridem typis in Urbe mandari per Eminmum Cardinalem Carpegna Suæ Sanctitatis Vicarium, & Confessariis omnibus impense commendari præcepit.

His consonam censent doctrinam, quam tradit. Eminmus Cardinalis de Aguirre piæ mem. in suis Dissertationibus 8. *&* 10. *in Concilia Hispaniæ, separatim editis in Belgio, summaque cum approbatione ubique receptis. Unde cum illo* inhærentes, *ut ipse loquitur*, non modo Conciliis, Canonibus, & Patribus, non solum gravissimis Cardinalibus, Episcopis, & Theologis horum temporum, sed etiam rationi manifestæ, fundatæ in doctrina fidei & experimento frequenti, *dicunt*, maxime oportere, ut gravium peccatorum rei, præsertim relapsi, antequam confiteantur, vel

ut minimum, antequam abſolvantur, præmittant aliquanto tempore, juxta numerum & gravitatem ſcelerum, fructus dignos veræ pœnitentiæ interioris exteriorisque, licet longe breviores quam peccatis eorum reſpondeant juxta Canones Sacros ...... Licet enim Deus poteſtate abſoluta, aut providentia ſingulari, vel miſeratione magna poſſit hominem gravium ſcelerum reum ſubito ad ingentem contritionem movere efficaciter, & perfecte ad ſe convertere, nihilominus juxta curſum ordinarium ea inſignia & præſtantiſſima dona non largitur ſubito, ſed gradatim, ac media impetratione facta per opera pœnalia.

Tandem, quod Sacramentorum adminiſtrationem attinet, illa, ut jubet Breve Apoſtolicum datum 24. Novembris 1696. donec aliquid ſpecialius à S. Sede Apoſtolica decernatur, juxta ſanctiones Canonicas, Statuta Conciliorum, & praxim Eccleſiæ adminiſtrabunt, habita caſuum, atque eorum circumſtantiarum ratione.

Si cui interim alia doctrina vel praxis ea in re magis placeat, obſervabunt circa illum, quod & circa ſe obſervari poſtulant, Decretum Innocentii XI. qui in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut ab injurioſis contentionibus Doctores Scholaſtici, aut alii quicunque inpoſterum ſe abſtineant; & ut paci & charitati conſulatur, tam in libris imprimendis ac manuſcriptis, quam in Theſibus, diſputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni Cenſura & nota, nec non a quibuſcunque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à Sancta Sede recognitæ ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.

6. Sigillum Confeſſionis inviolabile eſſe credunt, ac ſemper crediderunt: ita ut nec verbo, nec ſigno, nec alio quovis modo liceat Confeſſario prodere peccatorem.

Nec admittunt licitum eſſe prodere peccatoris Complicem, ſive hic juſte ſive injuſte in Confeſſione revelatus fuerit.

Scientia quoque ex Confeſſione acquiſita minime utendum putant, quando ea uti vetant nonnulla incommoda: qualia eſſe poſſunt indirecta peccatoris vel Confeſſionis revelatio, vel revelationis periculum, Pœnitentis gravamen, periculum ne Sacramentum fiat odioſum.

Similiter neque a Confeſſario peccati complex inquirendus eſt, neque ab ipſo Pœnitente revelandus, niſi in caſibus, quos paſſim Theologi excipiunt.

IN his non diſſentimus ab Oratore; nec ideo, jam forte laſſum, quæſtionibus pluribus, quas proculdubio alterius generis adverſarii circa hunc Paragraphum ſatis ſuperque ingerent, fatigabimus. *6. Po-*

DECLARATIO.

7. *POstremo palam profitentur se omni, qua par est, veneratione, ac obedientia recipere quidquid hactenus a Sede Apostolica in prædictis materiis decisum est; proindeque rejicere se omnem in rebus moralibus laxitatem, rigorem, novitatem, juxta decreta a Sede Apostolica hisce de rebus jam edita: & si qua deinceps edentur, pari veneratione, atque obedientia ea se recepturos pollicentur.*

NEc in his discordes sumus; nisi quod obedientiæ illius pomœria accurato circino, secundum antedicta, exoptemus delineari.

DECLARATIO.

HAc autem Declaratione coram Sancta Sede exhibita, confidunt eidem satisfactum esse: ideoque juxta Breve Apostolicum datum 6. Februarii 1694. *sub humili correctione putant:*

1. *Neminem e Belgis Theologis, qui huic Declarationi subscripserit, posse deinceps vaga illa accusatione & invidioso nomine Jansenismi, Rigorismi, novitatis, aut alio simili traduci, aut nuncupari; nisi prius suspectum esse legitime constiterit, aliquam è quinque Propositionibus Jansenianis, aut aliam a Sede Apostolica de rigore, novitate, vel aliter condemnatam, tenuisse aut docuisse.*

2. *Neminem simili prætextu repelli posse ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, aut Concionibus habendis, vel alia quacunque functione Ecclesiastica, nisi servato juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis gravissima est, commeruisse probatum fuerit.*

3. *Si qui hactenus simili prætextu, non servato Juris ordine, repulsus fuerit; eum deinceps hac Declaratione facta, admitti debere.*

Demum prædicti Belgæ Theologi doctrina in hac Declaratione contenta, quam Sacris Litteris, Traditioni, & Ecclesiæ sensui plane consonam esse credunt, pergent insistere, donec errare se per Sedem Apostolicam edocti fuerint: Cui propterea humillime supplicant, ut si qua in re a veritate aberrent, eos tanquam obedientiæ filios, Matrem ac Magistram Ecclesiarum omnium audire ejusque judicio sese subjicere paratissimos, corrigere, ac docere non gravetur.

CRedimus suspensam hærere exspectationem publicam, ut ab Oratore audiat, quid eloquii super his retulerit ab Apostolica Sede: ut ita detur cognoscere, quanto Declaratio tam gravis & tam pretiosa vel despectu rejecta vel applausu a Pontifice honorata sit.

F I N I S.